



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XII. Quartum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

*Secundum
argumentum.
Gen. Chronol.*

X. Genebrardus, qui triplicem finxit Canonem, primum Esdrinum, secundum ab Hierosolymitana Synodo Sexta concinnatum, priusquam ad Libros sacros interpretandos viri Septuaginta in Ægyptum mitterentur, tertium in Septima Synodo conditum, his argumentis suam tuebatur sententiam; editis post primum Canonem libris aliquot magnæ auctoritatis, novo Canone numerum Librorum sacrorum fuisse determinandum, ne eos Græcæ reddituris Interpretibus ulla in ea re existeret dubitatio, neve per errorem externis Gentibus profana pro sacris obtruderent, aut eas ulla sacrorum Voluminum parte fraudarent; tertium vero Canonem componi debuisse post bella Machabaica, per quæ divinæ res, ac Libri sacri neglecti jacuerant, tum & ut ad priores Canones Machabaici libri adjicerentur. Sed quorsum secundum confingemus Canonem, cum primum jam recensuisset Nehemias, qui ætatem suam ad primum Septuaginta Interpretibus ævum produxit, neque post illum ulli deinde ad Canonem Libri adjecti sint? Nam quos ad primum Canonem adjiciendos fuisse Genebrardus censet libros Tobia, Judith, Ecclesiastici, Sapientia, Machabæorum, eos in Judaicum Canonem nunquam admissos fuisse affirmamus; nam nulla unquam de iis in Ecclesia habita fuisset controversia, quæ tamen prioribus sæculis extitit. Quidquid vero Libris sacris perturbationis ac confusionis intulerant Machabaici tumultus, per Judæ Machabæi eam, quam dixi, instaurationem sanatum est.

*Tertium ar-
gumentum.
Serat. Proleg.
Biblicæ, c. 8,
questiune, 16.
& Præloq. 3.
in Mach.*

XI. Serarius, ut geminum fuisse Canonem probet, quodam utitur *ἱστορίῳ*, quod tanquam à Lege affert Josephus libro secundo contra Apionem: *γυνὴ ἡ χριστιανὴ ἀνδρῶν εἰς τὴν πόλιν, ἢ ἰσχυρὰ ἀνδρῶν ὑπὲρ ἀγαθῶν γυναικῶν*. Mulier vero in omnibus peior viro, cujus nequitia mulierem etiam beneficam superat. Atqui hæc habentur secundo & quadragesimo Ecclesiastici capite. Igitur vim Legis Ecclesiastico tribuit; quod non faceret, nisi fuisset relatus in Canonem. Alter ergo ab Esdrino Canon conflatus est, in quem Ecclesiasticus, alique Libri sacri Esdrinis recentiores coniecti sunt. Ego vero minime diffiteor magnam fuisse Libri hujus inter Judæos auctoritatem, qui, ut suo loco dixi, ex Salomonicarum Parabolarum collectionibus videtur fuisse compilatus, & Salomonicis scriptis supparem exultationem habuisse, præsertim apud Hellenistas, qui libris quibusdam apocryphis, & à Canone seclusis studiose utebantur, summamque venerationem iis exhibebant; maxime vero Josephi tempore, quo Libris istis jam prope eadem ac Canonicis auctoritas tribuebatur. Sed Canonici nihilominus nec erant, nec habebantur: nam si fuissent, nullo penitus reverentiæ discrimine habiti fuissent. At Josephus ipse priore contra Apionem libro diserte testificatur, quicumque ab Artaxerxe Longimano ad suam ætatem scripti sunt Libri, non æqualem prioribus fidem esse consecutos. Dicendum ergo est, ne à se ipse dissentiat Josephus, sententiam hanc sic tanquam à Salomone editam, & ad suam ætatem per *παραφρασεῖς διδασκαλίας* propagatam, fortasse ipsum protulisse: cujusmodi pleraque Prophetarum effata inter Judæos fuisse memoriter conservata, in scripta vero ante non relata, quam in Novo Testamento usurpata sint, viri eruditi consentiunt. Ad id credendum eo magis inclinat animus, quod sententiæ hujus, quam affert Josephus, prior illa pars, *γυνὴ ἡ χριστιανὴ ἀνδρῶν εἰς τὴν πόλιν, ἢ ἰσχυρὰ ἀνδρῶν*, in Ecclesiastico non reperitur.

*Quartum ar-
gumentum.*

XII. Infirmis vero penitus ac caducis nititur fundamentis Philosophi Theologo-Politici opinio. Canonis enim, quem post Judam Machabæum conflatum fuisse vult, novitatem non aliunde arguit, quam ex imaginaria & fictitia sacrorum ipsorum Codicum novitate, quam vanissimis rationibus probare conatus est, & nos toto hoc opere abunde refellimus.

*Quintum ar-
gumentum.*

XIII. Postremum hoc in nos cudi potest argumentum, cum duobus ac viginti Libris constituisse Canonem Esdrinum fateantur omnes, postquam suum deinde librum adjecit Nehemias, jam non viginti duos, sed viginti tres fuisse; quod neque ullus dixit unquam, & aperte inficitur Josephus; nam viginti duobus Libris Judaicam religionem contineri docet, qui eo intervallo, quod à Mose ad Artaxerxis usque Longimani tempora intercessit, editi, totius ævi præteriti memoriam complexi sunt. Verum libros Esdræ & Nehemiæ unicum constituitur volumen, notum omnibus ac tralatitium est, & diserte apud Eusebium Origenes declaravit. Suum quippe librum Nehemias ad Esdræ librum, utpote in ejusdem argumenti continuatione versatum, adtexerat.

*Joseph. libr. 1.
contr. Apion.*

*Euseb. Hist.
Ecol. 1. 6. c. 6.*

EPILQUS QUARTÆ PROPOSITIONIS.

Sed modum tandem imponamus quartæ huic Propositioni, prolixissimæ illi quidem & fuscè disputatæ, sed pro rerum copia & gravitate fortasse etiam brevi. Ac susce-